



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. IV. Quadruplex dispositio proxima ad Christiformitatem praecursor
Mysticus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

sto in Jordane, id est baptizatis incubantem, donec formetur Christus in illis: Ipsa dilectio specialis Christi JESU virtus est altissimi, quam supervenire Christiformandæ animæ oportet, est ipsa virtus Christiformatrix, ille ignis quo conflantur Christiformes. O ignis qui semper ardes & nunquam extingueris charitas deus meus accende me! O Columba cœlestis umbra cordibus nostris remigio alarum tuarum, ut sit spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, sicut ait Propheta (c) & in umbra ejus ac tua vivemus in gentibus. Amen.

(c) Thren. 4.

C A P U T I V.

Quadruplex Dispositio proxima ad Christiformitatem: Præcursor Mysticus.

§. I.

Confessio suæ infirmitatis.

Qui suam, infirmitatem dicam an informitatem, an etiam deformitatem ac miseriam? non sentit, non

B 2

quæ-

quærit Christiformitatem, non currit ad medicum, non in clamat misericordiam. Qui veteris ac terreni Adæ morbum, ac serpentis morsum in se non agnoscit, quomodo novum ac cœlestem Adam invocabit? Nesciens homo dum descenderet in Jericho spoliatum se ab latronibus, & plagis acceptis semivivum relictum, Samaritani transeuntis misericordiam & opem negligit, Christum indui non curat. Plenus seipso, Christo vacuus pauper est, cœcus, & miser, & miserabilis, & dicit tamen quia dives sum, & nullius egeo. Atqui tum incipit anima præparari Christo cùm conscientiam propriam infirmitatis, ac nihili gratiam sibi coævi cognatique compungitur. Magno planè Dei consilio (ut notat S. Thomas 3. p. qu. 1. art. 5. ex glossa ord.) factum est, ut post hominis casum non illico Dei Filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali,

turali, ut sic vires naturæ suæ cognosceret, ubi cum deficeret, legem accepit, qua data invaluit morbus, non legis sed naturæ vitio, ut ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreret auxilium.) Quanquam non usquequaque Deus dereliquit hominem. (a) Semper enim hoc humano restat arbitrio, non ut impleat homo justitiam cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad Deum (nec sine gratia) cujus dono eam possit implere. Suppeditavit ergo per Christum gratiæ quantum saltem sufficeret ad impetrandum, unde pareret homo legi, tum naturæ, tum positivæ, at parcius id quidem venturi Salvatoris aut ignorantis aut negligentibus, unde creber in scelera lapsus luce gratiæ in tenebris peccatorum allucente confugiendum ad authorem gratiæ & consummatorem JESUM admonebat. Hanc

B 3

spon-

(a) August. l. 1. ad Simp. q. 1.

sponsi amicus ac præparator sponsæ
 Joannes præmonstravit in se infirmi-
 tatis ac indignitatis confessione præ-
 viam Christiformitatis. Christum rati
 quidam in illo Evangelii crepusculo
 supremos ei honores destinabant, si
 annueret: Imò cum tantæ virtutis ef-
 fet, inquit S. Gregorius, (b) ut Christus
 credi potuisset, elegit solidè subsistere
 in se, ne humana opinione raperetur
 super se: Nam confessus est, & non ne-
 gavit, & confessus est, quia non sum e-
 go Christus. Cùm ergo non vult ap-
 petere nomen Christi, factus est mem-
 brum Christi, quia dum infirmitatem
 suam studuit humiliter agnoscere, il-
 lius celsitudinem meruit veraciter
 obtinere.) Ac vide quantum obti-
 nuit; infra corrigiam calceamenti se
 deprimit, negans dignum se solvere
 corrigiam calceamenti ejus, & ecce
 supra caput baptizati baptizans eri-
 gitur. Agnosce ergo miseriam & de-
 for-

(b) Hom. 7. in Evang.

formitatem tuam, quamdiu Christus in pectore tuo formatus non est. Si agnoscis peccata tua, ipse ignoscit, si confiteris infirmitatem tuam, ipse sanat, ipsa confessio initium sanitatis est. (c) Omnis qui non vult videre peccata sua, post dorsum se ponit, (horret nimirum videre deformitatem suam) & quid dicit Deus? arguam te, & statuam te ante te, modò te non vides, facio ut videas te, quia si videres te, & displiceret tibi, placeres mihi; quia verò te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi, & tibi: mihi cum judicaberis, tibi cum ardebis. Quod post dorsum posuisti ante faciem ponam, videbis foeditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas. Modò ergo tu fac quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus: tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans à factis tuis, & constitue te ante te. Ascende tribunal men-

B 4

tis

(c) Aug. Psal. 49.

tis tuæ, esto tibi Judex, torqueat te timor, erumpat à te confessio, & dic Deo tuo: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum ante me est semper: quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea à Deo iudice fias ante te, & non sit quò fugias à te.)

§. 2.

2. *Dispositio. Sublimis Æstimatio
Christiformitatis.*

Magnifice prædicat sponsum amicus sponsi Joannes non sibi zelans, sed sponso. Ipse, (a) inquit prolixas laudes summam concludens, ipse super omnes est, & ad illum mittit clientes ac discipulos sibi addictos, quò totum ei amorem consecrent, pietatemque devoveant. Potuitne magis commendari in Christo Christiformitas nostra? ut ille super omnes est, ita super omnes devoti pectoris affectus ac exercitationes eminent Christiformitas

(a) Ioann. 3.

mitas sive dilectio Domini JESU singularis. Hæc animam dilecto similem facit, ideoque certissimus est filiorum Dei sive prædestinatorum character, *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij ej^s. b*) I. christiformes. Sanè si terram diligendo terra es, audeo dicere Christum diligendo Christus es, sive Christiformis. Quid enim talis dilectio, nisi fornax ardentissima quæ consumpta rubigine veteris hominis colliquefactam animam transfundit in Christi formam, ut meritò exclamet cum Apostolo: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus. (c)* Ille est ignis quem Dominus JESUS venit mittere in terram, & *quid volo, inquit, nisi ut accendatur vehementer?* Nempe usque ad consumptionem nostri, & consummationem Christi in nobis. Nulla expeditior purgandæ mentis ratio, quam in istam specialis dilectionis Christi flammam projectio sui.

B 5

Nul-

(b) Rom. 8. (c) Gal 2.

Nulla potentior vis ad abigendos
 procul Cacodæmonas, aiebat B. An-
 tonius. Et verò quid est sapientia
 Christiani, inquit S. Salvianus, quid
 nisi timor & amor Christi? *Non glorie-
 tur sapiens in sapientia sua, (d) dicit Do-
 minus, & non gloriatur fortis in fortitu-
 dine sua, & non gloriatur dives in divitiis
 suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur scire
 & nosse me, id est, Christum diligere.*
 Ecquid denique prodest nobis Chri-
 stus nisi dilectus, & formatus in nobis?
 (e) Ne materna quidem propinquit as
 Dei Matri profuisset, nisi felicius cor-
 de quàm carne gestasset.) Quare etsi
 dederit homo omnem substantiam
 domus suæ pro tali dilectione, quasi
 nihil despiciet eam: *Veniunt enim in a-
 nimam omnia bona pariter cum illa, & in-
 numtrabilis honestas per manus illius: (f)*
 plenitudo quippe legis est Christi di-
 lectio, & Christiformitas consumma-
 ta

(d) Ier. 9. (e) Aug. lib. de Virg. cap. 3.

(f) Sap. 7.

ta, Christiani perfectio. Quid igitur vagaris per multa ô novitia pietas? Sollicita es & turbaris erga plurimas exercitationes & praxes: Porro unum est necessarium, quidnam illud? Diligere JESUM, ipsaque dilectione Christiformari. Erras ut apiculæ solent, si nondum penitus agnovisti regem tuum; si autem agnovisti, protinus ad eum cogitationes, & affectus omnes tui convolabunt. Æquum est, ut primas apud nos curas quæ prima habentur obtineant, summasque sibi devotæ sollicitudinis partes Christus vendicet. Ipse quippe super omnes est. Habeat itaque medullam cordis nostri, reliquæ verò cogitationis diem festum agant sanctis ejus. Honor regis judicium diligit, nemo cogitetur frequentius, nemo diligatur ardentius, nemo colatur devotius; denique ut in Christiformitate summa salutis, ita sollicitudinis ac devotionis nostræ summa esto.

3. *Dispositio. Desiderium Christi-
formitatis.*

Ardorem desiderii Patrum suspi-
rantiū Christi in carne præsentia
frequentissimè cogitans compungor,
(a) & confundor in memetipso, &
nunc vix contineo lacrymas: ita pu-
det teporis, torporisque miserabi-
lium temporum horum. Cui namque
nostrum tantum ingerat gaudium
gratiæ hujus exhibitio, quantum ve-
teribus sanctis accenderat desiderium
promissio?) Nimirum nondum multis
exhibitus est intus per formationem
spiritus sui, qui foris exhibitus est per
præsentiam carnis suæ. Quare deside-
randum spiritu Patrum, eorumque
voce dicendum (b) *Osculetur me osculo
oris sui.* Quanto putas præcurso-
rem Christi flagrasse hujus osculi delide-
rio, ex quo exultavit in gaudio in-
fans? Ac mirare Dei exercentis con-
filium,

(a) *Bern. Serm. 2, Cant.* (b) *Cant. 1.*

filium, & Joannis exerciti patientiam. Totis triginta annis desiderii vim velut animæ suspendium passus, vidit tandem sponsum amicus, & ad vocem ejus stetit, audit: ac vel hoc uno gaudium suum impletum fuisse & sensit, & dixit. Cur tamdiu videri distulit desiderium illud collium æternorum, suspirium Prophetarum, desideratus cunctis gentibus, totus desiderabilis, totus desideria? Ut excitaret vehemens desiderium sui. (c) Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Oportet namque, ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus, & ad omnem animam, ad quem est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima, quoniam juxta est Dominus, cum se senserit illo igne succensam, Magnis illis spiritibus animæ suspirantis ac sine intermissione orantis, ac

B 7

præ

(c) Bern. serm. 2. Cant.

præ desiderio se affliantis desideratus ille magnus occurrit.) (d) Nam desiderium sinus est cordis, & desiderando capaces efficimur. Sicut si vis implere aliquem sinum vel sacci vel utris extendendo facis capaciolem.) Quàm vastum esse oportet capacem Christi in se formati sinum! Differendo extendit Deus ac dilatavit Patrum ac Joannis cor Messiam expectantium. Danieli exuli revelatus est dies adventus, quia vir fuit desideriorum, Simeoni & Annæ viduæ expectantibus apparuit, quærenti Andree ac scire aventi ubi habitet, ait: Veni & vide, apud Zachæum manet, quia desiderio videndi suspensum è sycomoro conspexerat. Denique gentilibus quibusdam spectandum se præbet, quia per Philippum & Andream id expectaverant. Age igitur Christum in te formari si cupis, extende sinum cordis, omnia suspiria tua Christo anhelent, dic illud: *Emitte Domine agnum*
 (d) *Aug. tr. 4. ep. Ioan.* domi-

dominatorem terra, (e) animæ meæ. Rorate cæli de super, & nubes pluant justum, (f) in cor meum, aperiatur terra pectoris mei, & germinet salvatorem. Dic cum Davide (g) Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, tibi & anima animæ meæ, & caro mea & os de offibus meis Verbum caro : Dic cum Discipulo quem diligebat JESUS, Veni Domine IESU. (h)

(e) Isa. 16. (f) Isa. 45. (g) Ps. 62.
(h) Apoc. 22.

§. 4.

4. Dispositio. Petitio, & Intercessio Deiparæ.

QUàm fuit ardens Patrum ac Joannis in primis desiderium præsentia Christi, tam incensa fuit petitio illius doni, cujus tanto decet esse flagrantius votum, quanto majus est donum. Perfecit opus Incarnationis vox illa Deiparæ omnipotens, *Fiat mihi secundum verbum tuum* (a) Est & hoc

(a) Bern. Hom. 4. de Virg.

hoc verbum orantis. Vult autem à se
 requiri Deus, quod pollicetur, ut ex
 promissione devotio exciteretur: sicq;
 quod gratis daturus erat, devota ora-
 tio promereatur. Sic pius Dominus,
 qui omnes homines vult salvos fieri,
 merita nobis extorquet à nobis, &
 dum nos prævenit tribuendo, quod
 retribuatur gratis, agit ne gratis tribuat.
 Hoc utique prudens Virgo intellexit,
 quando prævenienti se muneri gra-
 tuitæ promissionis junxit meritum
 suæ orationis, *fiat*, inquit, *mibi secun-
 dùm verbum tuum*. Fiat mihi de Verbo
 secundùm verbum tuum) Tu itaque
 ora similiter, ut fiat in te Verbum Dei
 mysticè Incarnatum. Christusq; spe-
 ciali dilectione formetur. Atque ut
 certius & facilius impetres, adhibe
 mediatricem, in qua sola factum est
 Verbum personaliter incarnatum,
 corporaliter invisceratum. (b) Est sa-
 gitta electa amor Christi, quæ Mariæ
 ani-

(b) Bern serm, 20. Cant,

animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, ut nullam in Virginali pectore particulam vacuam amore relinqueret: aut certè pertransiuit eam, ut veniret usque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater Charitatis, cuius Pater est charitas Deus. Et illa quidem in tota se grande & suave amoris vulnus accepit. Ego verò me felicem putaverim, si summa saltem quasi cuspi- de hujus gladii punxi interdum me sensero, ut vel modico accepto amoris vulnere, dicat etiam anima mea, vulnerata charitate ego sum. quis mihi tribuat in hunc modum non modò vulnerari, sed & expugnari omnino usque ad exterminationem coloris & caloris illius qui militat aduersus animam?) Tribuet Maria crebrò ac enixè rogata, & quos gladio doloris transverberata in Joanne Discipulo filios juxta crucem concepit, cum audiit: *Mulier, ecce filius tuus, eos obstetrican-*

can-

cantibus gaudiis, pariet dilectione
 Christiformes; Sanè illius consensui,
 concursuique materno, ac sollicitudi-
 ni JESUM à nobis deberi voluit Deus.
 Illi *magna fecit qui potens est*, ut magni-
 tudinis factæ mensuram intelligas
 fuisse potentiam facientis: Per eam, &
 ad ejus vocem gratia sanctificans col-
 lata primùm à Christo est, nempe Jo-
 anni in utero exultanti: quin etiam o-
 ratu ejusdem primum gratiæ gratis
 datæ ut vocant, ab eo editum signum
 est, conversio scilicet aquæ in vinum.
 (c) Adeo nihil nos Deus habere vo-
 luit, quod per Mariæ manus non tran-
 saret.) Et Christum, nisi per illam for-
 mari in nobis speramus? Virgo est re-
 gia ipsa via, per quam Salvator adve-
 nit. (d) Tenentes ergò viam studea-
 mus ad ipsum per eam ascendere, qui
 per ipsam ad nos descendit, per eam
 venire in gratiam ipsius, qui per eam
 in

(c) *Bern. serm. 3. vigil. Nat.* (d) *Bern. serm. 2. de Adv.*

in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta, inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis, & fecunditas tua gloriosa fecunditatem nobis tribuat meritorum : fac ô benedicta per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriam nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ suæ, & Christiformes Jesus Christus filius tuus Dominus noster.)



INCAR-